

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA

S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI

Themata sermonis

Quartum Evangelium in Quadragesima: *Ductus est Iesus in desertum*, quod in allegorico et morali sermone dividitur.

In allegorico sermone, in primis de triplici deserto, et sermo in adventu Domini, ibi: *Emitte agnum, Domine*.

Item sermo de maledicto ternario, ibi: *Tulit Iob tres lanceas*.

In morali sermone, in primis sermo ad claustrales, ibi: *Datae sunt mulieri duae alae*; et de natura aquilae et proprietate accipitris.

Item sermo de cordis contritione, ibi: *In spiritu vehementi*; et ibi: *Sacrificium Deo*.

Item sermo ad sacerdotes, qualiter debeant celare confessionem, ibi: "Confessio debet esse inhabitabilis"; et ibi: *Cavete, ne ascendatis in montem*.

Item sermo de septem vitiis, et proprietate struthionis, asini et ericii, ibi: *Erit cubile draconum*.

Item sermo ad confitentes, qualiter debeant confiteri peccata et ipsorum circumstantias, ibi: *Sume citharam*.

Item sermo de confessione, ibi: *Quam terribilis est locus*.

Item sermo de quadragenario ieiunio, ibi: *Et cum ieiunasset quadraginta diebus*; et ibi: *Exploratores missi a Moyse*.

Item sermo de circumstantiis peccati confitendis et deponendis, ibi: *Macedam quoque cepit Iosue*.

Item sermo de ternario maledicto, quo tentat nos diabolus, ibi: *Induamus novum hominem*.

Exordium. De deserto Engaddi

1. --- *Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo* etc. (Mt 4, 1).

Dicitur in primo libro Regum, quod David habitavit in deserto Engaddi (Cf. 1 Reg 24, 1-2). David interpretatur manu fortis, et significat Iesum Christum, qui, manibus in cruce affixis, aereas potestates debellavit. Ecce quam mirabilis fortitudo: ligatis manibus proprium devincere inimicum! Hic habitavit in deserto Engaddi, quod interpretatur oculus tentationis. Nota quod triplex est oculus tentationis. Primus est gulae, de quo dicitur in Genesi: *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile; tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo (Gen 3, 6)*. Secundus est superbiae et vanae gloriae, de quo dicit Iob, loquens de diabolo: *Omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiae (Iob 41, 25)*. Tertius est avaritiae, de quo Zacharias: *Hic est oculus eorum in universa terra (Zach 5, 6)*. Christus ergo habitavit in deserto Engaddi quadraginta diebus et quadraginta noctibus, in quo gulae, vanae gloriae et avaritiae tentationem sustinuit a diabolo.

2. --- Unde dicitur in hodierno Evangelio: *Ductus est Iesus in desertum*. Nota quod triplex est desertum, in quorum quodlibet ductus fuit Iesus: primum est uterus Virginis, secundum praesens Evangelium, tertium patibulum crucis. In primum fuit ductus sola misericordia, in secundum exempli causa, in tertium Patris obedientia.

De primo dicit Isaias: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae, de Petra deserti ad montem filiae Sion (Is 16, 1)*. O Domine Pater, *emitte agnum*, non leonem, *dominatorem*, non vastatorem, *de Petra deserti*,

idest de beata Virgine, quae dicitur *petra deserti: petra*, propter firmum propositum virginitatis - unde respondit Angelo: *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco (Lc 1, 34)* idest firmiter proposui non cognoscere-; *deserti*, quia inarabilis, virgo enim ante partum et in partu et post partum extitit. *Emitte*, inquam, *ad montem*, idest excellentiam, *filiae*, idest Ecclesiae, quae est filia, *Sion*, idest caelestis Ierusalem.

De secundo dicit Matthaeus: *Ductus est Iesus in desertum etc.*

De tertio Ioannes Baptista dicit in Ioanne: *Ego vox clamantis in deserto (Io 1, 23)*. Ioannes ideo dicitur vox, quia sicut vox praecedit verbum sic ipse praecessit Dei Filium. *Ego*, inquit, *vox Christi, clamantis in deserto*, idest crucis patibulo: *Pater, in manus tuas etc. (Lc 23, 46)*. In hoc deserto totus fuit spinosus et ab omni humano auxilio derelictus.

De triplici tentatione Adae et Iesu Christi

3. --- Dicamus ergo: *Ductus est Iesus in desertum a Spiritu*. Quaeri solet a quo. Lucas apertissime ostendit a quo fuerit ductus: *Iesus*, inquit, *plenus Spiritu Sancto, regressus est a Iordane; et agebatur a Spiritu in deserturri*. Illo quo erat plenus, ipso fuit ductus, de quo ipse dicit in Isaia: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me (Is 61, 1)*; eo spiritu, quo fuit prae suis participibus inunctus, illo fuit in desertum ductus, *ut tentaretur a diabolo*. Quia Filius Dei, noster Zorobabel, qui interpretatur magister Babylonis, venerat mundum peccatis confusum restaurare et tamquam medicus aegrotos sanare, oportuit ut contraria contrariis curaret; sicut arte medicinae frigida calidis, calida frigidis curantur.

Destructio et infirmitas humani generis fuit Adae peccatum, quod consistit in tribus: gula, vanagloria et avaritia. Unde versus: Vicit Adam veterem gula, gloria vana, cupido. Ista tria habes in Genesi: *Dixit serpens ad mulierem (Gen 3, 4): In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, ecce gula; eritis sicut dii, ecce vanagloria; scientes bonum et malum, ecce avaritia. Istae fuerunt illae tres lanceae, quibus interfectus fuit Adam cum filiis suis.*

Unde dicitur in secundo libro Regum: *Tulit ergo loab tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalom (2 Reg 18, 14). loab* interpretatur inimicus et bene significat diabolus, humani generis inimicum. Hic *tulit* in manu falsae promissionis *tres lanceas*, idest gulam, vanamgloriam et avaritiam, *et infixit eas in corde*, in quo est fons caloris et vita hominis: *ex ipso*, inquit Salomon, *vita procedit (Prov 4, 23)*, ut calorem divini amoris extingueret et vitam omnino auferret; *in corde*, inquit, *Absalom*, qui interpretatur pax patris. Hic fuit Adam, qui ad hoc in loco pacis et voluptatis fuit positus, ut pacem patris, ipsi obediendo, aeternaliter conservaret. Sed postquam Deo Patri obedire noluit, pacem perdidit et in corde eius tres lanceas diabolus infixit et omnino vita privavit.

4. --- Venit ergo Filius Dei tempore acceptabili, et, obediens Deo Patri, perdita restauravit, contraria contrariis curavit. Adam positus fuit in paradiso, in quo, deliciis affluens, cecidit. Iesus ductus est in desertum, in quo, ieiuniis insistens, diabolus devicit. Videte utriusque tentationis concordantiam in Genesi et in Matthaeo: *Dixit serpens: In quacumque die comederitis. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant (Mt 4, 3): ecce gula. Item: Eritis sicut dii. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi etc. (Mt 4, 5) ecce*

vanagloria. Item: *Scientes bonum et malum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde; et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum. Et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me (Mt 4, 8-9)*; quantum perversus, tantum perverse locutus: ecce avaritia. Sapientia vero, quia semper sapienter agit, triplicem tentationem diaboli triplici Deuteronomii auctoritate superavit.

Diabolus cum de gula tentavit, Iesus respondit: *Non in solo pane vivit homo (Mt 4, 4)*; ac si diceret: Sicut homo exterior vivit pane materiali, sic interior vivit pane caelesti, qui est verbum Dei. Verbum Dei dicitur Filius, qui est Sapientia, quae ex ore Altissimi processit (Cf. Eccli 24, 5). Sapientia dicitur a sapore. Panis ergo animae est sapor sapientiae, quo sapit bona Domini et degustat quam suavis sit ipse Dominus. De hoc pane dicitur in libro Sapientiae: *Panem de caelo illis praestitisti omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem (Sap 16, 20)*. Et hoc est quod dicitur: *Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (Mt 4, 4)*. In omni dicit, quia omnis saporis suavitatem habet Dei verbum et sapientia, cuius sapor gulae delectationem insipidam facit. Hunc panem quia Adam fastidivit, ideo gulae tentationi acquievit. Bene ergo dicitur: *Non in solo pane etc.*

Item, cum de vanagloria tentavit, Iesus respondit: *Non tentabis Dominum Deum tuum (Mt 4, 7)*. Iesus Christus est Dominus creatione, Deus aeternitate. Hunc diabolus tentavit, cum ipsum templi Creatorem, de pinnaculo templi, ut se mitteret deorsum persuasit, et Deo omnium caelestium virtutum adiutorium angelorum promisit. *Non ergo tentabis Dominum Deum tuum*. Adam etiam Dominum Deum tentavit, cum Domini et Dei praeceptum non observavit, sed falsae promissioni de facili acquievit: *Eritis sicut dii*. O quanta vanagloria

credere se posse fieri Deum! O miser! Inaniter elevaris super te, et ideo miserabiliter corrues subtus te. *Non ergo tentabis Dominum Deum tuum.*

Item, cum de avaritia tentavit, Iesus respondit: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (Mt 4, 10)*. Omnes qui pecuniam vel mundi gloriam amant, procidentes diabolum adorant. Nos vero, pro quibus Iesus Christus venit in uterum Virginis, et sustinuit patibulum crucis, ipsius exemplo edocti, veniamus in desertum poenitentiae, et, ipsius adiutorio, gulae impetum, vanae gloriae ventum, avaritiae incendium reprimamus; ipsum quem archangeli adorant adoremus, ipsi cui angeli serviunt serviamus, qui est benedictus, gloriosus, laudabilis et excelsus in aeterna saecula. Dicat omnis creatura: Amen.